



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De Cambio minuto. Caput Tertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

quibusdam Nundinis, nam propterea vocatur Cambium ad Nundinas. Vocatur item aliquando Cambium cum Recursa, & Cambium cum Recambio, id, quod paulo post explicabitur latius.

44. Hinc, ne in vocibus hæreas, nota ex Lupo a illum, a quo peritur Cambium, appellari Campforem, Nummularium, Argentarium, & Mensarium, Bancarium, Trapezitam, & Collybistam (Collybus enim significat proprie illud Derrimentum, quod Nummularius patitur expermutatione pecuniæ; ob quod meretur compensationem.) Dicitur etiam Collectarius a colligendis nummis, ut apparet in lege *Quiquam §. Si certum petatur.* Qui Cambium petis, accipitque pecuniam, & sic lucrum alteri ex Cambio accepto dat, dicitur Campfarius, sumpto modo loquendi ab aliis similibus, in quibus, qui v. gr. donum accipit, dicitur Donatarius, qui mutuum, Mutuatarius. Iam vero per singula tria cambia, quæ n. 2. distinximus, discurremus.

CAPUT III. De Cambio Minuto,

§. I.

An pro hoc Cambio liceat lucrari?

1. **P**ro Cambio minuto licet posse moderatum pretium acquiri a publico Nummulario, jam certa, & communis est nunc opinio. Ratio est in promptu, quia in illo iusti ad sunt tituli, unde quis exigere possit ejusmodi lucrum, nam (ut fuse habet Delugo, e & ut iterum, immo sapius erit mox in similibus a nobis repetendum) ii, qui cambiunt, seu, qui cambiis dandis operam navant, coguntur facere expensas, pericula subeunt, laborantque in conquærendis, asportandis, congerendis, custodiendis pecuniis varii generis: tenentur etiam numerare, immò, & dictas pecunias permutare, quando sunt Ministri publici ad hoc Deputati, alia ite mercimonia deserunt, officinam conducunt, Reipublicæ serviunt, in loca alia aliquando pecuniam non asportant, ubi fortasse plus valeret, & cæc. Ex quibus omnibus, vel singulis sit, ut ii, ex officio ipso cambiendi, aliquid moderatum lucrum recipere, æquum sit.

2. Moderatum autem erit id, quod si vè usur in eo loco receptum est (sine fallacia tamen, & sine vi) si vè a Principe est constitutum; Si vè (si, nec usus, nec Principis ad sit taxa) id, quod a prudenti viro, consideratis omnibus prædictis circumstantiis, præsertim multitudine, vel paucitate petentium, vel donantium ad Cambia, judicatum d fuerit.

§. II.

Prima Difficultas.

An privatis lucrari ex Cambio minuto liceat?

1. **D**ico, licere, e non solum Ministris e Lesius l. publicis, ut modò vidimus, verum et e. dub. 2. jam hominibus privatis aliquid moderatum, & exiguum lucrari, multo magis, quando in permutatione se aliquo commodo quis, vel emolumento privat. Quare, si tibi dem pecuniam pretiosam, pulchram, splendidam, magnam, antiquam, raram, tradasque tu minutam, detonsam, deformem, æream, postulum aliquod moderatum recipere. Sicut, si ibi dem auream pecuniam aptam ad deaurandam Calicem, tu vero des mihi auream, sed non ita aptam, possum f aliquid lucri habere, f Silv. 7. quia illa aptitudo est pretio æstimabilis. Moderatum autem dico illud, quod, vel Judicio prudentis, vel usu ipso, vel aliqua lege constitutum sit.

2. Quid, si prohibitum alicubi sit, ne privati hæc minuta Cambia exerceant?

Respondeo. Licet aliqui doceant, tunc eos peccare mortaliter, si lucrum accipiant, & ad restitutionem teneri; tamen probabilius est, nec teneri ad restitutionem, nec peccare mortaliter; Non tenetur ad restitutionem, nam, ut docet Molina g non potest g Mol. d. assignari eivnam restituere teneatur; non 399. Les- enim tenentur restituere illis, cum quibus fins l. c. permutant, quia non plus ab eis receperunt, quam omnibus expensis, valeat pecunia, ut supponimus, nec Reipublicæ, nec alteri, quia hæc, vel alter nullum damnum passi sunt; ergo cum aliud assignari nequeat, nulli restituendum est. Nec peccant mortaliter, ut habet idem Molina loc. cit. quia, si damnum alteri nõ faciunt, unde nam (propter aliquam venialem inobedientiam) habetur peccatum mortale?

3. Ex

d Tol. l. 4.

e. 51. 7.

Tertio, ut

fit Rodr.

in summa

2. p. c. 105.

nu. 2.

Mol. d. de collat. Namij- matum 17. n. 4. Less. l. 2. c. 33. nu. 7. Mol. d. 399. e Delugo d. 2. n. de Less. d. 2. n. 8.

Mol. d. 399. Les- fins l. c. nu. 17.

3. Ex dictis numero primo illud discrimen collige inter Ministros Deputatos ad hoc officium, & inter non deputatos; nã hi non possunt tantum pretium exigere, quantum Ministri ex officio Deputati; Qui enim tenentur ex officio, coguntur congregare varietatem Monetarum, iubeunt pericula, expensos, labores, &c. Quæ, saltem omnia, & necessario, non subeunt non Deputati.

a *Caest.*
Tr. de Cambiis cap. 2.
4. *Caestinus* existimat, tantundem posse exigere eos, qui, sponte exercent *Campfariam*, quantum qui ex officio, in locis in quibus pretia dictorum minorum Cambiorum, jam sunt constituta, sive ex taxa Principis, sive ex usu recepto. Cujus doctrinæ ratio esse posset, quia tunc jam pretium Cambii in foro factum est commune, atq; adeo iustum pro omnibus exercentibus *Campfariã*. Quare, si idem usus etiam esset inter homines privatos, qui talem artem ex officio, sive voluntario, sive à Republica inuncto non exercent, profectò, & hi possent, modo dicto lucrari; sicut enim, si ratione latrociniorum auctum sit pretium frumenti, omnes possent, aucto pretio, vendere; ita in hoc casu, posset privatus cambire pretio secundum estimationem communem.

5. Hæc pro doctrina *Caestini*. Verum diligenter videndum erit, an ejusmodi usus universali ter ad sit; ego enim ejusmodi universalem usum nondum vidi: licet enim in aliquibus Regionibus, si Deputatus ex officio det tibi unum v. g. tarenum argenteum, solet à te pro suo lucro unum v. g. granum Siculum acquirere; non tamen acquirere simile granum solet, si tu des illi tarenum argenteum, ille verò grana tibi reddat ærea. Multò minus ergo privatis, aliter facere, licebit.

6. Quæres. An licitum sit Nummulatio cuicumque permutare pecuniam hic Panormi v. g. ut alibi, v. g. Neapoli, aliam minutam, vel ibi usitatam recipiat, sed ita, ut acquirat lucrum, non ad rationem lucri Cambii per literas, de quo mox, sed ad rationem lucri, quod ex tali minuto Cambio conquiri solet?

b *Calet. in opusc. de Cambiis s. 6.*
Respondeo, licere, nam hoc lucrum ex minuto Cambio solet esse minus, quam illud ex Cambio per literas, nec loci distantia reddit illicitum, quod ex se licitum est.

§. III.

*Secunda Difficultas.**De Cambio, addita pecunia custodia.*

1. **H**uc etiam id reducitur, nam dum deponitur aliquando pecunia apud *Mensam*, seu, ut Panormi consuevimus loqui, apud *Tabulam*, redditur deinde non eodem numero, sed alio, undè videtur esse quoddam Cambium, quod Cambium custodiæ appellant nonnulli. De hoc igitur difficultas est. An *Tabularii* possint lucrum aliquod ex tali custodia recipere?

2. Respondeo. Si sint Ministri ad hoc officio Deputati propter sumptus, quos habent in conservandis pecuniis, in exscribendis libris, & in subeundis cæteris laboribus, licitè aliquid moderatum accipere clarè colligitur ex dictis. Verum multis in locis nihil solvitur à deponentibus pecuniam, vel ab extrahentibus illam à Banco, vel *Tabula*, ne propter numerationem quidem pecuniæ, nam alicubi ejusmodi Deputati ad custodiam, non sunt merè Depositarii; non enim debent reddere eandem pecuniam, sed tantundem, undè cum fiant illius Domini, possunt illam uti ad licitas negotiationes, & sic multum lucrari. Alicubi vero residua quædam, immò, & tota pecunia, de qua non disponit expressè is, qui illam deposuit, vel ejus legitimus hæres, attribuitur *Tabule* cum, non contemnendo ejusdem *Tabule*, lucro. Hæc igitur, & similia emolumenta compensant laborem custodiæ, undè nihil pro illa solvi consuetum sit.

3. Quod si pecuniam custodiens sit homo privatus, potest, vel non potest lucrari aliquod accipere juxta obligationem, periculaque quæ suscipit, compensata utilitate ex depositis pecuniis, ut habetur ex dictis.

4. Illa duo quæ si a nuper a nobis fuerunt. Primum, si quando est solvenda ratio custodiæ, à quo est solvenda, à deponente pecuniæ, an à Tertio, cui fortè deponens mandavit, ut illi Tertio numeraretur? Secundum, Potestne Custos ejusmodi, quando deinde reddit, seu solvit Domino pecuniam, aliquid accipere ob laborem illam enumerandi?

5. Respondeo ad Primum, solvendum

esse à Deponente a, nam labor Custodiæ assumitur in gratiam Deponentis, non vero in gratiam illius Tertii: cuius iustitia postulat, ut integrè ipsi solvatur, quod ei debetur.

6. Ad secundum, Respondeo, Custodem nihil posse recipere ob dictam numerationem; nam hanc suscipit in gratiam suam, ne plus solvat, quam debet. Cum autem paulò superius dixi, Nummularium posse aliquid sumere pro numerandis pecuniis, idè dixi, quia ipse subindè numerat in gratiam alterius, ut notat Lessius b, & quia debet numerare multas pecunias hinc inde conquisitas, ut sit promptus ad cambiendum, non vero ob numerationem, quam exhibet, quando aliquid ipse debet.

7. Huic responsioni ad secundam hanc quaestionem se opponit Sotus, & quatenus asserit, esse consuetudinem aliquid accipiendi ratione numerationis: undè videtur (inquit Sotus) Respublica ad id licentiam concessisse, Sed Respondeo, à Republica hanc licentiam nunquam concessam fuisse, quia Respublica non potest licentiam dare non solvendi totum, quod ex Iustitia Creditori debetur, nisi, quando bonum publicum requireret oppositum, quod bonum in hac re minima non videtur adesse.

8. Nihilominus puto, sententiam Soti in eo casu mihi videri probabilem, quando Custos nihil lucri habet ex custodita pecunia. Tunc enim, licet, dum illam tibi reddit, sua interfit reddere, quantum debet, tamen hoc totum pendet à Beneficio, quod tibi contulit, volendo tuam pecuniam sine ullo suo emolumento custodire. Cur ergo ex eo Beneficio detrimentum patiarur, & tibi tuam pecuniam enumerare propriis sumptibus obligetur?

§. IV.

Tertia Difficultas.

De eo, qui ex industria Cambii monetam alterius.

1. Famulus habens à Domino viginti v. g. tatenos, ut cum illis satisfaciat sui Domini Creditoribus, vel emat pro suo Domino vinum, oleum, &c. utitur hac industria, ut illos permutet in monetam æream cum suo lucro; accipit enim moderatum quid, unū v. g. Tamburinus de Sacramentis.

granum ex singulis tarenis, sibi que illud reservat. Quærimus, an hoc unum licitè possit retinere, posito, quod jam per monetam æream placitum Domini benè complevit, ut hic semper supponendum est?

Respondeo, posse, & quia hoc est lucrum ejus industriæ: non enim pecunia est sicuti ager, & pecus, quæ fructus pariunt Domino, sed ex se sterilis: quare totum lucrum ex illa debetur ei, qui ponit industriam.

CAPUT IV.

De Cambio per literas.

VEL Campsor recipit hic pecuniam, & alibi solvit, vel hic solvit, & alibi recipit. Hæc duo nunc, an Campsori liceant cum lucro, investigamus.

§. I.

Hic recipiens, & alibi solvens.

1. Dico Primò, licitè Nummularium, seu Campsorem ex officio aliquod moderatum recipere ex eo, quod hic pecuniam suam recipiat, & solvat alibi, sive in diversa Provincia, sive solum in diversa Civitate. Capita autem, seu tituli, undè iustificetur ejusmodi moderatum lucrum, solent merito afferri sex, vel septem, quæ sigillatim jam profero.

2. Primum, ratione officii. Secundum, ratione laborum, & expensarum parandi scilicet, vel conservandi pecuniam, domum conducendi, scribendi rationes, literasque chirographi Cambii. Tertium, ratione famularum, quem alteri Campsor præstat, dum in ejus commodum transfert pecuniam, aliò, vel ibi conservat. Quartum, ratione periculorum. Et quidem quò longius distat locus, ubi solvenda est pecunia à Campsore, eò majora solent esse pericula, cum difficilior pecunia in locum remotum, quam in propinquum transferatur; nam propterea pro Cambio in eadem Provincia minus lucrabitur Campsor, quam in diversa, juxta mox dicenda num. 6. Quintum, ratione assecurationis; Campsor enim veluti locat operam suam, qua se obligat pecuniam tutam, ac certam alio transferre, & quidem periculo suo, nam, si pereat, in dam-

Bbbb

num

d Mol. d.

402. Less.

l. c. nu. 18.

Bonac. de

contr. d. 3.

q. 5. de Cãm-

biis num.

5. De-

lugo d. 23.

de Inst. &

n. 24.